



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 2. Fic[us] Eremitæ ac vuæ ab Angelo allatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

videant suauitatem; edant, vt esuriant; bibant, vt sitiant fontem salientem in vitam æternam; quicumque suauitatem sequitur.

§. II.

Ficus Eremita, ac vna ab Angelo allata.

Apud Palladium Helenopolitanum Episcopum, Posidonius Thebanus hæc ipse de se narrat: *Cùm habitarem in loco Porphyrite, anno vno, toto anno, nullum hominem conueni, non audiui sermocinationem, non panem tetigi, nisi si quando paucis uterer dactylis, & sicubi herbas inuenirem agrestes. Quo quidem tempore, cum mei panes, aliquando defecissent, egressus sum è spelunca, vt venirem in orbem terra habitabilem, & cum toto die ambulassem, vix aberam à spelunca duo millia. Cum ergo circumspexissem, video equitem militis habitum præferentem, habentem in capite galeam tiariferam: & cum coniectassem, eum esse militem, profectus sum vsq; ad speluncam, & inueni canistrum vuarum, & ficum nuper decerptarum: quod cum accepissem, letus rediui ad speluncam, habens, duobus mensibus, cibos illos ad meam refectioem. En vt etiam obsonijs suos recreat cœlestis Pater! Ficus in paradiso, ad delicias creauerat (quod vel è folijs ficus intelligimus, quæ primi parentes consue-*

Palladius
cap. 77.
hist. Lau-
siacæ.

runt,

runt, vt facerent *sibi perizomata*) nunc è Paradiso per Angelum ficus mittit in eremum. Post diluuium, Noë cœpit exercere terram, & *plantauit vineam*, vt vinum biberet cum iucunditate, en sine vinea vuas Angelus, non iam Christo, sed Posidonio, in deserto ministrat. Quid debuit vltra facere, etiam illecebris Deus homines allicit ad sibi seruiendum. Cur non sequerentur? vel ad pictas vuas etiam aues aduolarunt; ad veras vuas homines, satis alioquin appetentes vini, se non sinunt inuitari.

§. III.

Panis, oliua, poma, herba dulces seruis Dei diuinitus ministrata.

Ruffin.
lib. 2. c.
11. Pal-
lad. 59.

Abbas Hellen, de quo Ruffinus ac Palladius meminit, idem expertus est. *Cum enim aliquando panes ei defecissent, in spelunca, Angelus, in figura fratris eius, attulit nutrimentum. Rursus autem ipsum aliquando quærentes fratres decem numero, errabant per solitudinem, septimo iam die, ieiunii permanentes. Cum verò eos inuenisset, iussit in spelunca refici; illi verò eum victus admonuerunt. Ille, qui nihil habebat, quod eis apponeret, dixit eis: Potens est Deus mensam parare in deserto. Statim autem quidam adolescens, pontone, ipsis orantibus, pulsauit*